



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput X. De gravibus dicti Prioris laboribus, & de quibusdam miraculis,
quæcirca Reformationis labores contingebant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

censu liberaliter tradidisset, sed quia cum aliis laborare minùs aptus fuit, nequaquam propter pecuniam (licet Fratres ejusdem Monasterij pauperes exstiterint) est admissus.

CAPUT X.

De gravibus dicti Prioris laboribus, & de quibusdam miraculis, quæ circa Reformationis labores contingebant.

JAm qualia exteriora opera prædictus Prior exercere consueverat, paucis declarabo: hic namque propter Monasterij excessivam paupertatem gravibus malleorum percussionibus circa incudem usque ad corporis defatigationem sæpiùs fabrum juvare non cessavit. Insuper magna quercina ligna ad secandum consuetus erat cum securi deponere, denique sæpiùs carpentabatur, glebam ad conficiendos parietes pedibùs calcando præparabat, & quod majus est, eam glebantibus Fratribus humeris suis apportabat. Quodam tempore dum Prior pro structura lapides cum curribus adducere fecit, contigit aurigam, juvenem videlicet quatuordecim annorum, dum equi cum impetu onustum currum in profunda via traherent, de superiori loco ante currum ruere, sicque rota onusti currus utrumque ipsius crus pertransivit, & per hujusmodi rotationem velut inutilis factus currui imponitur, ad Monasterium ducitur, ante Altare Beati MEINULPHI fertur, ubi Prior genibus prostratus infirmum supra utraque brachia jacentem habuit, sanctum MEINULPHUM pro sanitate ipsius suppliciter inclamavit, quo facto infirmus statim loquitur in hæc verba: *Nihil mihi deest ac nocet*, & ita, qui debilis pedibùs ante Altare B. MEINULPHI portabatur, omnibus, qui præsentibus erant, DEUM collaudantibus ad pristina sua opera est reversus. Alio quoque tempore ex quo turris magna planè fuerat absque tecto, & præfatus Prior cum suis structuram ligneam pro habendo tecto vellet erigere, quale miraculum circa hoc contigerit, non tacebo. Malus namque dictæ fabricæ in medio collocandus, cui tota lignorum machina innititur, quando de terra per gyrographum sursum in aërem ducta fuit, ita ut jam attrahi deberet supra murum, Magister operis accessit volens disponere, ut prædictus malus super eundem turris murum

murum commodiùs duceretur , casu accidit , quod idem malus ex quadam negligentia magna cum velocitate descensum ad terram faceret , præfatumque magistrum operis se minùs custodientem arripiens , eum ad unius stadij spatium ab ædificio (prout à pluribus visum fuerat) eiecit , sed Domino DEO ipsum piè protegente statim quasi in momento absque ulla læsione cunctis eum intuentibus sedere videtur supra murum prædictæ turris. Nulli itaque dubium , quin B. MEINULPHUS volens sui reformandi Monasterij continuare processum , præfatum Magistrum à periculo mortis suâ intercessione præservavit.

C A P U T X I.

Quomodo prædictus Prior more Sanctorum Patrum humiles structuras fieri ordinavit.

Satis etiam præfatum Priorem apud DEUM & homines commendatum facit, quòd quemadmodum sancti Patres in vilibus casulìs habitantes repromissiones sibi factas à longè respiciebant, atque salutabant , ita memoratus Prior ad humilia ædificia erigenda semper inclinatus sursum mente in cœlis fuerat conversatus , & sicut idem Prior in reformatis Monasteriis de lignis factis , quæ circa partes inferiores visitare consueverat , majorem spiritûs fervorem reperit , ita pari modo adinstar eorundem omnem sæcularem apparatus & curiositatem devitans ædificia sui Monasterij ex virgis contexere , lutoque plasmare , & secundum DEUM decenter & devotè inhabitare decrevit , novit enim prudens Prior , quòd magnifica ædificia animi rigorem ad vitæ molliem paulatim soleant inclinare.

C A P U T X I I.

De virtuosa vita Subditorum prænominati Prioris , & primò de Fratre Subpriori , qui in servitio Christi semper absque tadio devotus erat.

Nunc de Discipulis & Subditis memorati Prioris aliqua relatione digna brevi stylo restant referenda. Fuit prædicti Prioris Subditus nomine Daniel singulari probitate perspicuus, qui

D

in